



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## VI.

*Sancti Augustini episcopi Hipponensis ecclesiæ ad Dardanum inter cetera:* Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde ad iudicandos venturus est viuos & mortuos. Et sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum est ire visus in cælum, id est, in eadem forma carnis atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. *Item eiusdem in epistola ad Volusianum inter cetera:* Nunc vero ita inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitæ personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. *Item eiusdem in expositione euangelii secundum Ioannem inter cetera:* Quid igitur, hæretice? Cum Christus Deus sit & homo, loquitur vt homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? *Et iterum infra:* Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, qua maior est Pater. Vtrumque autem simul, non duo, sed vnus est Christus: ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim vnus est homo anima rationalis & caro, sic vnus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus est Deus anima rationalis, & caro: Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. *Item eiusdem cuius supra:* Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrectorum triduo iacuit in sepulcro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus. Verum hæc omnia non duo, vel tres, sed vnus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo Vnigenito, vt immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris.

Ioan. 14.

## VII.